

sacro isti arcano exhibetur reverentia non a Catholicis tantum magistratibus, sed etiam a Mahumetanis.

Quanta autem fide tam a clero Protestantium, quam a magistratu civili colatur, ostendit Gobatus, hic n. 778. et seqq. ubi ait, *virum quemdam, qui filium veneno sustulerat in pago quodam; in altero vero mulierem aliud crimen capitale patribus suis spiritualibus prædicantibus bona fide clam confessos; ab his vero Præfecto denuntiatos, capitali supplicio piam simplicitatem luisse.* Exemplum aliud profert Bœhmerus l. c. tit. 38. §. 48. ubi queritur, Annam Nizelin, quæ solatii causa adulterium Pastori suo Lutherano cum multa poenitudine confessa privatim fuerat, ab hoc ad magistratum delatam: et supplicio fuisse addictam nulla habita ratione responsi, quod Jurisconsulti Hallenses ad hunc casum reddiderant an. 1694.

DISPUTATIO III.

DE SACRAMENTO UNCTIONIS EXTREMÆ.

*Decretum concilii Florentini de Extrema Unctione sub Eugenio IV.
an. 1439. pro Armenis.*

Quintum sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus est; in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc: *Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, etc.* Et similiter in aliis membris. Minister hujus sacramenti est sacerdos: Effectus vero est mentis sanatio, et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

*Canones concilii Tridentini de sacramento Extremæ Unctionis, Sess. 14.
die 25. Novembris an. 1551. sub Julio III.*

I.

Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA, MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTICULUS I.

VERITAS SACRAMENTI UNCTIONIS EXTREMÆ.

311. *Nota I.* Extrema unctio affinitatem quamdam habet cum Pœnitentiæ sacramento, eo quod ad abstergendas reliquias peccatorum per pœnitentiæ sublatores ordinetur: *Ac non modo pœnitentiæ, sed etiam totius christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentiæ esse debet, consummativum existimatum est a Patribus*, ut notavit Concilium Trid. initio doctrinæ Extr. Unct. Sess. 14. A Latinis quandoque dicebatur *oleum*, aliquando *sacrum chrismatis oleum*, aliquando *oleum infirmorum*: item *sacramentum exeuntium*. Græci appellabant *oleum sanctum*, qui titulus in ipsorum Euchologiis legitur, uti et *oratio cum oleo*.

Nota II. Lutherus, L. de capt. Babyl. c. de Extrem. unct., ritum quidem istum non rejicit, sacramentum tamen esse negat. Calvinus L. 4. Inst. c. 19. §. 48. et seqq. et Kemnilius in 2. p. Exam. ceremoniam istam irrident, ut *histrionicam hypocrisin*. Eandem e sacramentorum catalogo a Waldensibus, aliisque antiquioribus hæreticis expunctam fuisse, multi arbitrantur cum Bellarmino, c. 1. L. un. de Extr. Unct. Verum Waldenses in professione fidei Uladislao Hungariæ regi oblata, *sacramenta*, inquit, *septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus*. Postea extremæ unctionis effectum vere catholicum deprædicant.

Nec refert, quod Reinerus c. 3. alique scribant de Waldensibus: *Sacramentum unctionis etiam reprobant*: nec enim inficiabantur esse sacramentum, sed spernebant, propter consecrationem olei, propter abusum, *quod tantum divitibus detur, et propter plures sacerdotes, ibi necessarios*, aliosque, quos obtendebant. Quare Innocentius III. redituros ad Ecclesiam Waldenses ita profiteri jussit: *Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur*.

Hussitæ etiam resipiscentes, aut de errore eorum suspecti, ex Concilii Constantiensis præscripto, Sess. ult., rogandi sunt: *Utrum credant, quod*

Christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis et Extremæ Unctionis, aut solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter? In dicto autem Concilio Constantiensi Sess. 8. et 13. damnantur quidem nominatim articuli Wicleffi et Hussi; de sacræ Unctionis autem negatione nullus eorum meminit. Unde colligimus, Wicleffum L. 4. Trialogi c. 25. negantem, quod hoc sacramentum a Christo aut Apostolis institutum fuerit, de consecratione olei fuisse locutum. Quod Albigenses Extremam Unctionem e sacramentorum numero eliminaverint, teste S. Antonino, Summæ Theol. p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5., mirum non est: nam propago ista impietatis Manichaicæ longissime omnium a sacris christianis recessit.

312. *Dico.* Extrema unctio est verum novæ Legis sacramentum.

Prob. I. S. Jacobus epist. c. 5. v. 14. ita scribit: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.* Hac Apostoli sententia continentur omnia, quæ ad essentiam sacramenti a Catholicis omnibus, et a plerisque Protestantium requiruntur. Imprimis symbolum externum est unctio olei et oratio fidei: deinde promissio gratiæ, est allevatio infirmi et remissio peccatorum: denique ipsa eadem Apostoli dicta divinam institutionem produnt, quia a nemine alio potest institui signum, quod gratiam Dei certo conferat.

Prob. II. INNOCENTIUS I. epist. ad Decentium c. 8. (Labb. t. 2. p. 1248. B.) eadem Jacobi verba repetit: ac postquam consecrationem olei ab Episcopo peragenda, et ejus usum fuisse descripsisset, ita subdit: *Pœnitentibus (i. e. solemniter, ac nondum reconciliatis), istud fundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?*

Eadem Jacobi verba ad nos pertinere, et debere etiam nunc et omni tempore presbyteros id facere quod Jacobus scripsit, Patres expresse dicunt: ut Origenes hom. 2. in Levit. (opp. t. 2. p. 191.), Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio (opp. t. 1. p. 385. A.), Augustinus in speculo, et serm. 215. de Tempore (al. 265. in app.), Auctor operis de visit. infirm. L. 2. c. 4. tom. 9. oper. S. Augustini: Ven. Beda in c. 6. Marc. et 5. Jacob. alique, quos large proferunt Bellarminus c. 4. et Suaresius disp. 39. sect. 1. (et omnium fusissime Sanbovius in cursu completo Migne, t. 24.).

Prob. III. Concilium Chabillonense, an. 813. celebratum, can. 48. (Labb. t. 7. p. 1283. B.): *Secundum B. Jacobi Apostoli, inquit, documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent, etc.* Eadem est præceptio Concilii Aquisgranensis, an. 836. (Labb. t. 7. p. 1711. D.), eadem Moguntini an. 847., eadem Regiatiensis an. 850. celebratorum, aliorumque deinceps usque ad Concilium Trid. Sess. 14.

Eadem leguntur in Capitularibus Caroli M. L. 7. c. 75. et 76. (Labb. t. 7. p. 1180. D.), in capitulis Heraldi Turonensis, quæ an. 856. fuere promulgata. Eadem capitula Hincmari Rhemensis sub idem tempus, et canones Isaci Lingonensis: et duobus ante seculis, liber pœnitentialis Theodori Cantuariensis ordinati a Vitaliano Pontifice an. 668. ex quo Ivo Carnutensis, decreti parte 15. cap. 26. statutum excerpsit (Patrol. t. 99. p. 977. D.). In sacramen-

tario autem Gregorii M. feria V. in cœna Dom. præscribitur ritus consecrandi oleum infirmorum : ac in ordine ad visitandum infirmum modus ipse inungendi et preces addendæ recitantur (opp. t. 4. p. 236. A.).

His accedit, quod Græci traditione perpetua Extremam unctionem inter septem sacramenta venerentur, eosdemque ritus in ejus administratione observent, quos Latini, ut *Ευχολόγιον* seu rituale ipsorum declarat : et scribunt Simeon Thessalonicensis, L. de septem sacram., Nicolaus Cabasila in Expositione S. Liturgiæ, c. 29., Hieremias Patriarcha Constantinop. in respons. ad Confessionem Lutheranorum, c. 7. ubi testimonium S. Jacobi repetit.

Idem testantur exempla apud Surium l. 2. et ipsos hæreticos Centur. 8. et seq. c. 6. Tresanus presbyter sanctissimus seculo VI. moriturus, accepta sacra Unctione, Viaticum petiit, ut legitur in ejus vita 11. Februarii, apud Bollandum. Sancta Kunegundis, sec. VII. *Sacræ unctionis oleum et Eucharistiam sibi petiit ministrari*, ut scribit Surius c. 14.

S. Adelardus Corbeiensis Abbas ante obitum a S. Hildemanno Episcopo, *benedictionis oleo, sicut a B. Apostolo sancitum est, inungi* petiit, ut in ejus vita narratur.

313. *Obj. I.* Unctio, de qua epistola Jacobi meminit, eadem erat, quam Marc. 6. Apostoli a Christo missi ægris adhibebant : atqui hæc juxta omnium fere et præstantissimorum Theologorum sententiam non erat sacramentum ; ergo nec illa, quam epistola Jacobi prædicat.

R. N. M. contra Theophylactum, Bedam, Lyranum, Catharinum, Maldonatum et alios apud Tirinum. 1º. A Concilio Tridentino Sess. 14. c. 1. dicitur hoc sacramentum a Christo *apud Marcum insinuatum, per Jacobum autem Apostolum et fratrem Domini fidelibus commendatum ac promulgatum*. Insinuatur autem id, quod non expresse proponitur, sed adumbratur et obscure indicatur, ut inquit Estius, Bellarminus et alii. 2º. Marci 6. v. 13. Apostoli tantum utebantur unctione ad sanationem prodigiosam morborum : nam a Christo mittebantur tantum ad prædicandum Evangelium, et ad confirmandum miraculis doctrinam suam, ut etiam videre est Matth. 10. Luc. 9. 3º. Apostoli tunc temporis nondum erant sacerdotes. Constat autem ex verbis Jacobi, solorum presbyterorum esse, extremæ hujus unctionis ceremoniam peragere. 4º. Apostoli cæcos, claudos, et omnis generis ægros tunc linebant. Certum autem est, sacramentum unctionis extremæ solis lethali morbo decumbentibus ministrari posse. 5º. Apostoli promiscue fideles æque ac infideles Marc. 6. ungebant, neque rogabant prius, utrum languentes baptizati essent : sacramentum unctionis solis baptizatis conferri potest et prodesse. Probabilius ergo sacramentum istud tunc a Christo institutum fuit, cum poenitentiae sacramentum primo ordinavit, cujus quidem consummativum extremæ unctionis sacramentum existimatum esse a Patribus, inquit Concilium Tridentinum, proœmio doctrinæ de Extr. Unct. Ubi etiam ratio, cur sacramentum hoc a Christo institutum fuerit, redditur ; quia congruebat, hominem eo maxime tempore novis et majoribus præsiidiis muniri, quo dæmon omnes vires et artes suas in illius perniciem exerit.

Inst. 1. Extremæ unctionis ritus fuit ab Apostolis institutus ; ergo sacramentum verum esse non potest. *Ant.* docuit olim Hugo Victorinus L. 4. de

sacram. p. 15. c. 2., quem secuti sunt Magister in 4. d. 23., Alensis, S. Bonaventura, Altisiodorensis et alii quidam.

R. 1º. Iidem Theologi negant consequentiam : aiunt enim, mediate a Christo institutum fuisse hoc mysterium per Apostolos, quo nihil putant detrahi efficaciz atque excellentiz sacramenti.

R. 2º. N. Ant. Quamvis non inficiemur, potuisse Christum hominibus delegare facultatem sacramenta condendi ; constat tamen, omnia septem Ecclesiæ Catholicæ sacramenta immediate a Christo solo fuisse instituta.

Inst. 2. Non legimus, veteres usque ad IX. seculum ulli extremam unctionem impertivisse aut recusasse : neque scriptores, qui piorum mortes consignaverunt, indicant, aliquem illorum extremæ unctionis sacramento munitum decessisse ; ergo.

R. N. Ant. Argumentum hoc negativum hæreticorum abunde confutavimus testimoniis Patrum et exemplis. Nam præterquam quod plurima primorum Ecclesiæ Patrum scripta ad nos usque non pervenerint ; in his, quæ supersunt, aliqua tantum rei christianæ capita tractantur. Hinc in argumentum trahi non potest, quod auctor libri de Hierarchia Eccles., secundum multos Dionysius Areopagita, unctionem extremam prætermittat : agit enim accurate de sacramentis novæ legis, prout per ea inolescere potest Ecclesiasticæ hierarchiæ ordinata dispositio secundum actiones ministrorum et recipientium : non vero omnia sigillatim determinat, et ex proposito exponit : quam ob causam nec poenitentiz, nec matrimonii facit mentionem.

Sed neque in hoc eodem L. de Hierarchia Eccl., neque in LL. Constitutionum Apostolicarum, Clementi Romano tribui solitis, fit mentio Eucharistiæ morituris dari solitæ per modum viatici : neque Eusebius, nec Gregorii Nazianzenus et Nyssenus, nec Ambrosius, Sulpitius, Hieronymus, Metaphrastes et alii piorum mortem enarrantes referunt, datam ipsis sacram Eucharistiam in viaticum fuisse ; quod tamen can. 13. (alias 12.) præcipitur : mirum igitur videri non debet, quod de unctione extrema nihil meminerint. Nam 1º. Scriptores ea, quæ usu vulgari trita sunt, ut plurimum omittunt. 2º. Cum extrema unctio sit quasi perfectio et consummatio sacramenti poenitentiz, ea delibuti præsumuntur fuisse, qui poenitentes discesserunt. Atque hæc ratio esse videtur, cur nec in vita Bernardi legamus, ipsum in morbo ultimo sacram unctionem recepisse ; nec ipse, S. Malachiam eodem sacramento inunctum fuisse, in Episcopi hujus vita meminerit : cum tamen sanctus hic Episcopus mortis suæ vates, sat opportunitatis ad illam recipendam habuerit, et certo constet, S. Bernardum sacramentum istud maximi fecisse. 3º. Denique cum sacramentum hoc non sit simpliciter necessarium, et multi ejus copiam, morte occupati, non habuerint, scriptores piorum obitum ex hac vita narrantes, de eo tacuerunt.

314. *Obj. II.* S. Jacobus et Concilia dum ungendos esse infirmos dicunt, non excludunt sanos ; ergo nihil differre videtur ab unctione, qua olim Apostoli, Marc. 6. alios etiam ungebant, modo defectu aliquo corporis tenebantur.

R. N. Ant. Quando speciale sacramenti subjectum designatur, cætera excludi censentur ; præsertim ubi nulla in contrarium exempla extant.

Atqui ex tota Ecclesiæ traditione nequit ostendi, quod alteri, quam ægroto, sacramentum istud fuerit collatum. Sed et decretum Eugenii in Concilio Florentino, solis infirmis id esse administrandum præcipit. Præterea juxta Tridentinum c. 3. eadem necessitate infirmus est subjectum hujus sacramenti, qua sacerdos est ejusdem minister: constat autem, hunc solum ministrum esse posse. Denique eodem Concilio Tridentino dicitur hoc sacramentum *infirmorum, et exeuntium*, non profecto ideo, quia solet hisce dari: alias Eucharistia et Pœnitentia forent etiam sacramenta infirmorum et exeuntium: ergo ideo tantum, quia his solis, non vero sanis potest administrari; ut pridem argumentabatur S. Thomas cit. Quæ quidem omnia ex effectu utroque sacramenti Extremæ Unctionis inferius confirmabuntur.

Inst. Græci hoc sacramentum sanis etiam conferunt.

R. T. *Ant. N. Cons.* Joannes Nathanaël Cresensis, apud Arcudium L. 5. Concord. c. 4. et ipsemet Arcudius detestantur hunc morem, tanquam novitium apud Græcos, et S. Scripturæ adversantem. Verum Goarius ait, injuriam fieri ab Arcudio Græcis, eo quod hæc ceremonia ipsis non sit sacramentum, quippe quæ sine forma sacramentali, et intentione sacramentum conficiendi peragatur tantum ut ritus pius: perinde ac veteres Latini eodem oleo ungebant varios ægros, ad morbos depellendos.

Hinc ille abusus apud Græcos increbuit, satisfactionis loco ungenti pœnitentes. Quam quidem relaxationem disciplinæ interdicit Innocentius IV. epist. ad Episc. Tuscul. Sedis Apostolicæ legatum.

ARTICULUS II.

DE MATERIA ET FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

315. *Dico I.* Materia proxima sacramenti Unctionis extremæ est inunctio ægroti. Ita Catholici omnes contra quosdam antiquos, quibus oleum ab Episcopo benedictum videbatur esse sacramentum, unctio vero usus ejusdem sacramenti. Hanc opinionem referunt SS. Thomas et Bonaventura in 4. d. 23. et tanquam improbabilem rejiciunt: et merito.

Prob. Præter Eucharistiam nullum sacramentum consistit in materia permanente, sed in usu. Sicut ergo ex verbis Christi, Matth. ult. *baptizantes eos*, intelligimus, baptismi materiam proximam esse actionem tingendi in aquam aut abluendi vel aspergendi aqua, non vero aquam ipsam: ita ex verbis Jacobi, *ungentes eum*, recte cognoscimus materiam proximam Unctionis extremæ esse actionem ungenti oleo, non vero oleum.

Conf. Concilium Trid. Sess. 14. cap. 1. cum dixisset, *materiam esse oleum*, mox addit: *Nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam... representat.* Igitur docuit, unctionem esse sacramentum; quia ait, illam esse signum efficax gratiæ. Id quod etiam ex ipso nomine hujus sacramenti discimus.

Plures sensus inungendos esse, constat ex Decreto Eugenii IV., ex Rituali et catechismo Romano, a quibus oculi, aures, nares, os, manus, renes et pedes ungi jubentur. Nihilominus plurium partium inunctionem tantum ex præcepto Ecclesiæ necessariam esse, inde colligimus, quod B. Jacobus

simpliciter scribat, *ungentes eum*: quemadmodum ex Christi verbis, *baptizantes eos*, immersionem unicam, aut lotionem aspersionemve unius membri novimus sufficere. Idem suadet usus Ecclesiarum varius, plures, aut pauciores partes inungentium. In Ecclesia Romana olim caput solum, vel frons linebatur, ut ex libro Sacram. Gregorii M. (opp. t. 4. p. 237.) legimus his verbis: *Postea faciat ei signum crucis in capite de oleo benedicto, dicens: In nomine Patris*, etc. quamvis ibidem ita quoque habeatur: *Multi enim sacerdotum perungunt insuper in quinque sensus corporis.* Renum inunctionem in mulieribus honestatis causa semper omittendam monet Rituale Rom. uti et Concilium Mediol. IV. sub S. Carolo. In Codice Remigio Rhemensi, in Rituali Parisiensi, Mechliniensi approbato ab Academia Lovaniensi an. 1588. aliisque pluribus præscribitur unius duntaxat sensus unctio, quando morbus contagiosus, aliave necessitas ita suadent, modo in fine formæ dicatur: *Quidquid per sensus peccasti.*

316. *Dico II.* Materia remota hujus sacramenti est oleum olivarum, ab Episcopo benedictum.

Pars 1^a. traditur in epistola S. Jacobi: *ungentes eum oleo.* Unde concludunt Patres et Concilia; quæ supra laudavimus, oleum ad sacram hanc inunctionem requiri, et quidem *oleum olivarum*, scilicet ex olivarum baccis expressum, ut Decretum Eugenii in Concilio Florentino declarat: tale enim intelligitur, cum oleum simpliciter appellatur. Quibus consentit traditio orientalis et occidentalis Ecclesiæ; quæ materia alia nunquam usæ sunt.

Convenientissime autem oleum a Christo fuit præscriptum: mitigat enim dolores, affert hilaritatem, sanat morbos, robor membris conciliat, etc., prout alias ostendemus. Quamvis autem nonnisi purum oleum adhibendum sit, valet tamen actio, si ei mixti sint alii liquores, aut unguenta odorifera, modo olei substantiam non destruant.

Nec refert, quod INNOCENTIUS I. loc. cit., materiam hujus sacramenti ait esse *chrisma*: nam vocabulo hoc græco unguentum quodlibet significatur; sive simplex illud fuerit, sive mixtum.

Pars 2^a. quod debeat oleum esse ab Episcopo benedictum, tum a Conciliis supra cit. quibus accense Concilia Wormatiense cap. 72. (Lab. t. 8. p. 958. C.) et Aquisgranense tit. 2. cap. 8.; tum ab Innocentio I. qui scribit ægros inungendos esse *oleo ab Episcopo confecto*, a Gregorio M. in L. Sacramentorum, a Ven. Beda commentario in c. 6. Marci, et super epistolam Jacobi: tum a perpetuo usu et traditione totius Ecclesiæ tam solide firmatur, ut Bellarminus. Estius, Suaresius et non pauci Theologi putent, se evicisse, benedictionem illam istam non tantum esse de necessitate præcepti, sed etiam sacramenti.

Verum Franciscus Victoria, Cajetanus, Maldonatus, Sambovius alique insignes Theologi nihilominus repugnant: quorum sententia adhuc probabilis manet, ut ex eorum argumentis infra adducendis videbimus.

317. *Obj. I. cont. 1^{am} concl.* S. Thomas in 4. d. 24. q. 2. a. 3. q. 2., Bonaventura, Durandus, Richardus, alique veteres Scholastici omnes quinque sensus necessario inungendos esse censuerunt; ergo non erit verum sacramentum, quando una tantum pars corporis ungitur,

R. N. Cons. Suaresius ait, non omnes distincte loqui de necessitate sacramenti, sed absolute. S. Thomas in supplem. q. 32. a. 6. in 0. *Illā unctio, ait, ab omnibus, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti.* Ex quibus cum eodem Suaresio concludimus, varias illas unctiones solum de necessitate præcepti esse adhibendas.

318. *Obj. II. cont. 2^{am}. concl.* Concilia et traditio necessariam quidem aiunt, esse benedictionem olei ab Episcopo faciendam, non tamen ideo sequitur, eam esse essentialē: sicut non est essentialis Eucharistiæ admixtio aquæ, licet eam tota traditio commendet. Ergo oleum non benedictum sufficere posset ad substantiam hujus sacramenti, eo quod illud simpliciter ab Apostolo præscribitur.

R. N. Ant. Aqua baptismi etiam ex Ecclesiæ præcepto debet esse benedicta, nec tamen Concilia dicunt, materiam baptismi debere esse aquam benedictam, sed naturalem; ergo cum materiam unctionis extremæ dicunt esse oleum benedictum, majorem, quam præcepti necessitatem indicant. Quod aqua vino miscenda sit in sacrificio tantum ex usu et præcepto Ecclesiæ, distincte declarant Decretum Eugenii ad Armenos et Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 7.; talem autem explicationem de benedictione oleo impendenda nusquam Concilia ediderunt.

Inst. Etsi materia hujus sacramenti ab Eugenio IV. et Concilio Tridentino dicatur esse oleum ab Episcopo benedictum; non tamen ideo sequitur, benedictionem Episcopi esse de essentia materiæ ad sacramentum idoneæ: nam Clemens VIII. instructione de ritibus Græcorum edita an. 1593. prohibet, ne cogantur presbyteri Græci accipere oleum ab Episcopo Latino: quia ex antiqua consuetudine Ecclesiæ orientalis, presbyteri possunt oleum infirmorum de licentia et commissione Episcoporum benedicere; ergo tota olei benedictio non est necessaria, nisi ex præcepto Ecclesiæ.

R. N. Cons. Posse sacerdotibus legari hanc potestatem, constat ex usu Ecclesiæ orientalis, quam Ecclesia latina nunquam reprehendit: oleum autem non benedictum sufficere ad hoc sacramentum non satis probatur.

Verum quod Maldonatus tom. 2. de sacramentis, quæst. 5. de cerem. Extr. Unct., ad opinionem S. Thomæ et aliorum Scholasticorum de necessaria inunctione quinque sensuum dixit: *Ego non arbitror, de essentia sacramenti quidquam affirmandum esse, nisi suppetant majores rationes;* idem quæstione 1. ad 4. argumentum Catholicorum respondet, non esse necessariam consecrationem olei ad veritatem sacramenti; sed tantum propter præceptum et disciplinam Ecclesiæ, quæ consuevit materiam omnis sacramenti prius benedicere, quam sacramentum conficiat. Ac propterea a Conciliis institutum fuit, ne unctio extrema fieret nisi oleo benedicto. S. Jacobum autem simpliciter de oleo pronuntiasse, perinde ac Christus locutus est de aqua, cum baptismum instituit.

Eugenius IV. docere Armenos voluit ritum Latinorum: Concilium Tridentinum damnare voluit errorem hæreticorum Waldensium, Calvini et aliorum, qui consecrationes materiæ sacramentorum spernebant: ideo autem benedictionem olei, non vero aquæ baptismatis meminerant, quod litem Scholasticorum, an illa olei consecratio ad veritatem sacramenti necessaria sit, an non, dirimere noluerint. Cæterum Basilius M. L. de Spiritu

sacramento cap. 27. (opp. t. 3. p. 55. A.), tam de aqua quam de oleo ita æqualiter enuntiat: *Benedicimus aquam baptismatis, et oleum unctionis.*

Quod autem quidam dicant, Apostolum per verba illa, *in nomine Domini*, indicasse benedictionem olei ab Episcopo præmissam, adeo frivolum est, ut ne ipsis quidem hujus sententiæ assertoribus probetur. Id enim solum verbis illis significatur, sacerdotem vice Christi fungi, et ejus nomine et auctoritate inungere decumbentem.

319. *Dico III.* Forma hujus sacramenti est precatio, quam sacerdos inungendo pronuntiat.

Prob. S. Jacobus in epist. formam hanc satis aperte indicat, dicens: *Orent super eum... et oratio fidei salvabit infirmum*, etc. Ex quibus verbis Eugenius IV. in Decreto Concilii Florentini, et Patres Tridentini probant formam hanc Ecclesiæ Romanæ: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum*, etc.: qua formula Ecclesiæ occidentales olim utebantur. Orientales autem Ecclesias omnes formam mere precatoriam adhibuisse; evidens fit ex Græcorum Euchologiis, ubi sacramenti hujus ritus describitur, nec quidquam reperitur verborum modi indicativi et absoluti.

Hinc S. Thomas d. 23. q. 1. a. 4. q. 2. ita concludit: *In hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis sacramentis.* Idem senserunt SS. Albertus et Bonaventura aliique, quos refert et sequitur Suaresius disp. 40. sect. 3.

320. *Obj.* SS. Thomas et Bonaventura, Durandus aliique præstantissimi Theologi affirmant, sua ætate Mediolani in usu fuisse formam, quæ dicebatur Ambrosiana, absolutam et indicativam, his verbis conceptam: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* Similes formæ notantur in Codice Remigii Rhemensis, in Codice Ratoldi, in Ritualibus Ecclesiarum Suessionensis, Catalaunensis, Ambianensis, etc. Albertus M. d. 23. a. 4. scribit, se vidisse antiquissimos Germaniæ Rituales libros et observasse, formam extremæ unctionis mere indicativam, quem ritum *Gregorianum* vocabant. Atqui durum valde videtur, cum S. Thoma contra Albertum M. et alios Theologos pronuntiare, formas tot Ecclesiarum indicativas fuisse invalidas; ergo.

R. 1^o. S. Thomas l. c. et in supplem. q. 29. a. 8. ad 3. aliique dicunt, verba illa indicativi modi non esse formas hujus sacramenti, sed prævias dispositiones ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illum per verba illa. Verum probabile non videtur esse, Albertum, Bonaventuram, Durandum, Paludanum, Aureolum aliosque Theologos qui scripserunt, Ambrosianam, aliasque formas Ecclesiarum fuisse tantum indicativi modi, et ad conficiendum sacramentum suffecisse, omnes tunc ignorasse, quod adhiberentur præterea aliæ formæ precatoriæ. Deinde sicut is, qui affundendo aquam, ait, *baptizo te*, etc., non recte dicitur proferre dispositionem præambulam formæ Baptismi, sed vere dicitur sacramenti formam adjicere: ita cum ad actionem unctionis dicebat sacerdos: *ungo te*, etc., haud apte satis dicitur, illum protulisse præambulam tantum dispositionem, quæ ad genuinæ formæ pronuntiationem ministrum præparet.

Ita Hugo Menardus in notis ad sacramentarium Gregorii M., contra Petrum Ledesmam.

R. 2°. Formas illas solum grammaticæ, verbotenus et mere materialiter fuisse indicativas; moraliter autem, virtualiter et æquivalenter preces fuisse. Confirmat hanc responsionem S. Bonaventura, qui a. 1. q. 4. ad 2. objectionem, quod non sit eadem forma, *Dicendum*, inquit, *quod secundum id quod est necessarium et essentielle sacramento, eandem oportet esse. Sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris.* Suaresius item hanc formam esse sufficientem asserit: *Ungo te oleo sancto, ut Deus tibi remittat quidquid peccasti*, etc., quia verbo indicativi modi adjungitur sufficiens deprecatio. Atqui similem precationem adjunctam habent tam forma Ambrosiana, quam cæteræ nuper laudatæ; ac præsertim quam Palacius ex lib. sacramentali Venetorum approbato per Leonem X. ita recitat: *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus aereas catervas, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Indicativo modo adjungit deprecativum forma L. Sacram. GREG. M. *Inungo te de oleo sancto, etc... Operare creatura olei in nomine Dei Patris, etc., Per eundem Christum, etc.* Iisdem ferme verbis concepta est forma, quam Arcudius L. 5. Concordiæ, c. 5. ex Serario legi ait, in antiquo codice manuscripto Halitgarii Episcopi Cameracensis, qui florebat Ludovici Pii temporibus.

CAPUT II.

DE EFFECTIBUS ET MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTICULUS I.

DE EFFECTIBUS HUIUS SACRAMENTI.

321. *Dico I.* Finis et effectus omnium præcipuus Extremæ Unctionis est confortatio animi adversus difficultates in articulo mortis occurrentes.

Prob. Apostolus ait: *Et alleviabit eum Dominus*, græce ἐγερσῆ, excitabit, novum ei robur, alacritatem, lætitiâ et vigorem suppeditando. Rationem reddit Synodus Tridentina in præmio de Extr. Unct. Christus hominibus sanis et valentibus per cætera sacramenta satis consuluit, auxilia in iis maxima præparando, queis se adversus tela hostium integros conservent. Opus ergo adhuc erat, ut firmissimo hoc Unctionis extremæ præsidio munirentur graviter ægotantes eo tempore, quo et vires corporis nobis deficient, et dæmon *vehementius omnes versutia sue nervos intendit ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos; cum impendere nobis exitum vite perspicit.* Eadem confirmat Concilium Coloniense part. 7. cap. 40.

Ex his conficimus, sacramenti hujus effectum proprium non consistere in gratia habituali, hæc enim eadem omnium sacramentorum est; sed in specialibus gratiæ auxiliis, accommodatis ad finem hujus sacramenti, qui tres potissimum spectat effectus ab illis auxiliis præstandos. Primus ad roborandam, ut dixi, spem, in mortis articulo vel maxime necessariam. Alter ad hilaritatem animi concipiendam, qua morbi incommoda et ærumnæ levius toleremus. Tertius, auxiliis illis gratiæ reddimur fortiores animo et promptiores ad superandum tentationes dæmonis, quæ tunc acrius urgent. Effectuum horum typus est sacra unctio: hæc enim sanat et roborat, et per eam disponi solent luctatores et pugiles ad certamen. Vid. Conc. Trid. cap. 1. et cap. 2. *Hæc gratia...* inquit, *ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert; et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.* Sed et Eugenius IV. in Concilio Florentino, sacramenti hujus effectum docuit esse mentis sanationem. Merito ergo Extrema unctio *sacramentum spei* appellatur: sicut Baptismus sacramentum fidei, Eucharistia sacramentum amoris, et confessio a Theologis dicitur *sacramentum penitentiæ.*

322. *Dico II.* Finis et effectus secundarius Extremæ unctionis est, per se proxime disponere animam ad introitum gloriæ.

Prob. Extrema unctio dicitur a Patribus *sacramentum exeuntium*, et totius christianæ vitæ *consummativum*, ut habet præmium et cap. 3. doctrinæ de Extr. Unct. in Concilio Trid.; ergo ejus effectus secundarius est, proxime disponere ad introitum gloriæ. Duplex autem hæc dispositio spectari potest, ac prior quidem est perfecta animæ sanctificatio, quæ, præter habitum gratiæ, consistit in remotione omnis mali a peccato provenientis: posterior autem est perseverantia in illo bono usque ad mortem. De hac posteriore satis modo egimus in conclusione prima; priorem vero præparationem nunc breviter expono.

1°. Sacramento Unctionis sacræ tolluntur peccata; ait enim S. Jacob.: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Idem significant verba formæ: *Per istam unctioem... indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per*, etc., et quod cap. 2. docet Concilium Tridentinum: *Res hujus sacramenti gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Quæ quidem testimonia, cum sint universalialia, et sensu proprio intelligenda, etiam de peccatis mortalibus accipi oportet. Præsertim quia constat, quod peccata in rigore magis significant mortalia, quam venialia, atque in illo articulo magis necessaria sit illorum remissio, quam istorum. Denique propter sola peccata venialia, aut pœnas residuas, ne opus quidem erat annexi ab Apostolo conditionem, *si in peccatis sit*: vix enim reperitur homo, qui culpa veniali, aut pœnarum reatu non sit obstrictus. Quomodo autem sacramento Extremæ Unctionis peccata lethalia interdum remittantur, fuse explicatum fuit ubi de sacramentis generatim.

2°. Cum peccata venialia etiam ab ingressu regni cœlestis nos morentur, etiam hæc ex opere operato hujus sacramenti, ac *per se* quidem remittuntur quoad culpam. Nam nec verbis Apostoli, nec forma hujus sacramenti, peccata generatim appellantibus, venialia a remissione excipiuntur. Sed